Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26003
Copyright: Admont, Benediktinerstift

festum est in illis. Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim eius a creatura mundi per ea que
facta sunt intellecta conspiciuntur. Lux quoque rationis est que lucet in quamlibet profundis pec
catorum tenebris. Sed lucem hanc in se ipsis lucentem cum tenebre essent non comprehenderunt.
quia videlicet cum cognovissent deum non sicut deum glorificaverunt aut gratias egerunt. Amplius
autem rei sunt iudei. quia cum tam naturalis rationis iudicio quam sacre legis testimonio lucem
veram possent agnoscere presentem. magis obtenebrati sunt. et non cognoverunt eam. Clauserunt
quippe oculos suos ne viderent. et aures suas compresserunt ne audirent. et omnino intel
legere noluerunt ut bene agerent. Ecce signum cui contradicebatur. quantis fragoribus into
nantis veritatis defenditur. Quid spiritus inmundi contra hiscere possunt. abintioribus he
reticorum prerepentes in modum ranarum. Verumtamen alii super sunt hostes et contradictores huius signi.
scilicet iudei qui tamquam sub alio celo positi non terrentur. quia non audiunt fragorem huius tonitrui. Ista
heretici quidem quasi de suo celo fulminantur. dum sequaces apostolorum se esse simulantes. alii enim
non audirent nisi apostoli esse putarentur. simulantes ergo apostolicam se tenere vel proferre doctrinam.
tamen apostoli testimonio desuper ut adversarii feriuntur. At vero iudei tamquam sub alio climate sunt.
quia Christi apostolos non recipiunt. et propterea nichil ad eos pertinet. nichil eos movet quod tantam
gloriam dei nostri adnunciat firmamentum. Quid ergo? Numquid excusabiles erunt. Numquid
non audierunt vel se audisse dissimulare poterunt. Immo primi audierunt. non undecumque
sed ex ore eius quem nec abscondere nec refellere ullatenus possunt. Audierunt quippe per IOHAN
NEM baptistam quem omnes sciunt esse prophetam. cuius non ex hominibus sed de celo fuisse testimo
nium negare ipsi nequeunt. Celebratum est enim et ab ipsorum hystoriographis nomen meritumque
IOHANNIS. miraculum nativitatis. et sanctitas vite mirabilis. dignitas predicationis. ut
auctoritas baptismatis. testimonium quoque quod Christo perhibuit. et causa mortis. Qui ip
se quidem nichil scripsit. sed cum tantus esset ut Christus potuisset estimari. quod dixerit. quem digito
ostendit totus orbis audivit. et hic sonus eius in omnem terram exivit. Hunc ergo testem tam
idoneum hic dilectus Christo Iohannes assumit secum. ut in ore duorum testium legittime stet
hoc fidei verbum. digneque frequens prestet adiutorium. tam propter testium vitam quam propter testi
moniorum constantiam. cum quibus hic assumit alternatim positurus nunc sua. nunc illius verba
Christo testimonium perhibentis. hoc modo ostendens ante omnia quis vel qualis fuerit.
Fuit homo missus a deo. cui nomen erat Iohannes. Vide cum de verbi eternitate loquens
euuangelista dixerit erat et erat nunc fuit homo dicitur. de tota in preteritum perfectum dictiuncula.
Illa quia verbi esse nec cepit nec desinit. huius autem hominis Iohannis utpote defuncti
iam esse preterit. tamdiu quippe recte homo esse dicitur. quamdiu caro est cum anima rationali.
prudenter ergo et proprie de illo erat. de hoc dictum est fuit. Et enim celi peribunt psal
mista inquit. tu autem permanes. et omnes sicut vestimentum veterescent. et sicut opertorium
mutabis eos et mutabuntur. tu autem idem ipse es. et anni tui non deficient.